An. et vol. XXXIII 12 Septembris 1941 (Ser. II, v. VIII) – Num. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Pii Pp. XII: Constitutio Apostolica, p. 383 – Litterae Apostolicae, p. 385 – Epistula, p. 386.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: Decretum erectionis Capituli Cathedralis, p. 388 – *S. C. Concilii*: Instructio, p. 389 – *S. C. de Propaganda Fide*: I. Provisio Ecclesiarum, p. 392. II. Nominationes, p. 392 – *S. C. Rituum*: I. Decretum de virtutibus pro beatificatione Ven. Placidae Viel, p. 393. II. Decretum introductionis causae beatificationis Servi Dei Marci Antonii Durando, p. 396. III. Decretum reassumptionis causae pro canonizatione B. Nonii Alvarez Pereira, p. 399. IV. Decretum introductionis causae beatificationis Servae Dei Gertrudis Comensoli, p. 400. V. Decretum de miraculis pro canonizatione B. Ioannis de Britto, p. 402. VI. Decretum de miraculis pro canonizatione B. Bernardini Realino, p. 404.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M • DCCCC • XLI

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano
Administratio:
Libreria Vaticana — Città del Vaticano

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 35 — extra Italiam, *L. it.* 55 —
Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 4 — extra Italiam, *L. it.* 4,50

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. XXXIII, n. 10 - 12 Septembris 1941)

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

PAG.

I. *De Rajaburi.* - Praefectura Apostolica de Rajaburi, in Siamensi seu Thailandiensi regno, ad Vicariatus Apostolici gradum et dignitatem evehitur, iisdem servatis nomine ac limitibus. - *3 Aprilis 1941* 383

LITTERAE APOSTOLICAE

Quae christifidelium. - Sancti Didaci dioecesis B. Maria Virgo, titulo «Nostra Domina de Refugio», Patrona confirmatur simulque S. Didacus, Confessor, Patronus aeque principalis declaratur. - *25 Martii 1941* . . 385

EPISTULA

Nuper agnovimus Helveticam Confoederationem. - Ad Illmos Viros Praesidem ceterosque e Supremo Consilio Foederali Helvetico: DCL anno exeunte ab Helvetica Confoederatione condita. - *12 Iulii 1941* 386

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

Csanadiensis. - Decretum erectionis Capituli Cathedralis - *14 Iunii 1941* . . 388

SACRA CONGREGATIO CONCILII

Instructio. De fidelibus exhortandis ut Missae sacrificio frequenter ac devote intersint. - *14 Iulii 1941* 389

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

PAG.

I. Provisio Ecclesiarum 392

II. Nominationes 392

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I. *Constantien. et Abrincen.* - Decretum de virtutibus pro beatificatione Ven. Servae Dei Placidae Viel, secundae Superiorissae Generalis Instituti Scholarum Christianarum a Misericordia. - *9 Februarii 1941* 393

II. *Taurinen.* - Decretum introductionis causae pro beatificatione Servi Dei Marci Antonii Durando, Sacerdotis Congregationis Missionis, Fundatoris Instituti Sororum a Iesu Nazareno. - *23 Martii 1941* 396

III. *Ulyssiponen.* - Decretum reassumptionis causae pro canonizatione Beati Nonii Alvarez Pereira, Fratris laici professi Ordinis Fratrum Carmelitarum. - *28 Maii 1941* 399

IV. *Bergomen.* - Decretum introductionis causae pro beatificatione Servae Dei Gertrudis Comensoli, Fundatricis Instituti Sororum a Ssmo Sacramento. - *4 Iunii 1941* 400

V. *S. Thomae de Meliapor.* - Decretum de miraculis pro canonizatione Beati Ioannis de Britto, martyris, Sacerdotis professi Societatis Iesu. - *30 Iunii 1941* 402

VI. *Neapolitana seu Lycien.* - Decretum de miraculis pro canonizatione Beati Bernardini Realino, conf., Sacerdotis professi Societatis Iesu. - *30 Iunii 1941* 404

An. et vol. XXXIII 12 Septembris 1941 (Ser. II, v. VIII) – Num. 10

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA PII PP. XII

CONSTITUTIO APOSTOLICA

DE RAJABURI

PRAEFECTURA APOSTOLICA DE RAJABURI, IN SIAMENSI SEU THAILANDIENSI REGNO, AD VICARIATUS APOSTOLICI GRADUM ET DIGNITATEM EVEHITUR, IISDEM SERVATIS NOMINE AC LIMITIBUS.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si, Evangelii praeconum cura et studio, christiana res in quavis Apostolica Praefectura notabiles fecerit progressus, illam solent Romani Pontifices ad maiorem dignitatis gradum extollere, ut et ecclesiastico ibi regimini aptius consulatur et Missionalibus ipsis grati Sanctae Sedis animi et benevolentiae sollemne praebeatur testimonium. Cum itaque in Praefectura Apostolica de Rajaburi, in regno Siamensi, seu, quod nunc vocatur, Thailandiensi, Apostolicis sub plumbo Litteris *Ad christianum nomen,* anno millesimo nongentesimo trigesimo quarto, die vicesima octava mensis Maii erecta et constituta, ac Societati S. Francisci Salesii concredita, missionalium operum fundamenta solide per assiduos labores iacta sint, ita ut iure sperare liceat fructus in dies uberiores collectum iri, Nos, de venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi de Propaganda Fide praepositorum consilio, Praefecturam illam in Vicariatum Apostolicum provehere censuimus. Suppleto igitur, quatenus opus sit, quorum intersit.

vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, Praefecturam Apostolicam de Rajaburi iisdem servatis nomine ac finibus, in Vicariatum Apostolicum evehimus, erigimus et constituimus, eumque eiusdem Societatis S. Francisci Salesii sollertibus sodalium curis, uti antea, ad Nostrum tamen et Apostolicae Sedis beneplacitum, commissum volumus. Novo autem huic Vicariatui de Rajaburi, seu Rajaburiensi, eiusque pro tempore Vicariis Apostolicis omnia tribuimus iura, privilegia, honores et potestates, quibus ceteri per orbem Vicariatus eorumque Praesules iure communi fruuntur et gaudent, eosque pariter iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri adstringuntur. Quae omnia, ut supra disposita et constituta, rata ac valida esse volumus et iubemus, contrariis quibuscumque minime obstantibus. Harum vero Litterarum transumptis aut excerptis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eamdem prorsus volumus haberi fidem, quae hisce Litteris haberetur si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam evectionis, erectionis, constitutionis, commissionis, concessionis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero ausu temerario id attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo primo, die tertia Aprilis mensis, Pontificatus Nostri anno tertio.

ALOISIUS Card. MAGLIONE
a Secretis Status

P. Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Propaganda Fide Praef.

Alfonsus Carinci, *Proton. Apost.*
Ludovicus Kaas, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. LXV, n. 24 – Al. Trussardi.

LITTERAE APOSTOLICAE

SANCTI DIDACI DIOECESIS B. MARIA VIRGO, TITULO « NOSTRA DOMINA DE REFUGIO », PATRONA CONFIRMATUR SIMULQUE S. DIDACUS, CONFESSOR, PATRONUS AEQUE PRINCIPALIS DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae christifidelium bono tuendo magis opportuna videantur, ea, prout supremum Nostrum spirituale exigit officium, sollicita cura et constanti studio providere satagimus. Quapropter cum hodiernus Sancti Didaci in Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus Episcopus humillimis enixisque precibus Nos rogaverit ut coelestem apud Deum Patronam suae dioecesis Beatam Mariam Virginem titulo « Nostram Dominam de Refugio » confirmare pariterque Sanctum Didacum Confessorem Patronum aeque principalem constituere dignemur, Nos huiusmodi postulationibus libenti quidem animo annuendum censemus. Nam ad Nos refert Venerabilis ipse Praesul ante kalendariorum reformationem in omnibus fere dioecesibus Reipublicae Mexicanae festum celebratum fuisse Nostrae Dominae de Refugio, cuius Imago, Conlegio apostolico Franciscano a Beata Maria Virgine de Guadalupa in « Zacatecas » donata, in mexicanam Angelorum civitatem anno millesimo septingentesimo ac vicesimo translata est; atque ab eodem tempore tam magna fidelium religione culta, ut erga Nostram Dominam de Refugio devotio per totam mexicanam regionem sit etiam propagata, atque haec Sancta Sedes facultatem concesserit officium recitandi proprium Nostrae Dominae de Refugio, quam interea Conlegii Apostolici memorati omniumque Missionum Patronam constitutam Fratres Franciscales die quarta mense Iulio quotannis sollemniter celebraverant. Addit quoque praelaudatus Antistes, votis cleri populique sibi crediti obsecundans, opportunum valde videri una cum Beata Maria Virgine de Refugio Sanctum etiam Didacum, Confessorem, dioecesis suae Patronum declarandum, quia ab ipsius Sancti nomine tam prima Missio quam prima civitas in California nuncupatae sunt, atque eiusdem Sancti titulo antiquius templum regionis est Deo dicatum, quum inibi Catholicae Fidei initia habita sunt. Conlatis itaque consiliis de hac re cum Venerabili Fratre Nostro Episcopo Praenestino, Sacrae Rituum Congregationis Praefecto, omnibusque mature perpensis, praesentium Litterarum tenore deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, perpetuumque in modum Beatam Virginem Mariam vulgo « No-

stram Dominam de Refugio » Patronam itemque Sanctum Didacum Confessorem aeque principalem Patronum dioecesis Sancti Didaci in Foederatis Americae Septemtrionalis Civitatibus apud Deum declaramus et constituimus, privilegiis honoribusque additis, quae huiusmodi coelestis patronatus propria sunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere, suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque ad quos pertinent seu pertinere poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum, irritumque ex nunc et inane fieri si quidquam secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXV m. Martii, an. MCMXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MAGLIONE, *a Secretis Status.*

EPISTULA

AD ILLMOS VIROS PRAESIDEM CETEROSQUE E SUPREMO CONSILIO FOEDERALI HELVETICO: DCL ANNO EXEUNTE AB HELVETICA CONFOEDERATIONE CONDITA.

PIUS PP. XII

Illustrissimi viri, salutem. — Nuper agnovimus Helveticam Confoederationem, Augusto mense proximo ineunte, sescentesimum quinquagesimum fauste esse celebraturam annum, ex quo auspicato condita est. Libentissimo quidem animo Nosmet Ipsi laetitiam participamus dilectae istius Helvetiae, ex qua delecta civium cohors, constanti non modo, sed heroica interdum fidelitate, Romani Pontificis personae tot iam saecula invigilat. Vestra sane Civitas, Illustrissimi Viri, in multiplici linguarum institutionumque varietate, pulcherrimum praebet intimae ac domesticae coniunctionis exemplum, quod, providente Deo, ceteros quoque populos ad mutuam dilectionem et conciliationem vehementer invitare potest. In summo profecto honore apud vestrates est christiana caritas, quae quidem facit, ut istiusmodi respublica, nemini infensa, ceterarum etiam gentium civibus auxiliari contendat, iis praesertim, qui infandi belli calamitates magis persenserint. Nos igitur etiam atque etiam vobis gratulamur, ac divinae Bonitati, quae vos hucusque peculiari ratione protexit, gratias agimus vobiscum atque habemus. Gratulationes quo-

que Nostras vobis, Illustrissimi Viri, publice exhibemus, de pace et concordia, quae, bonae voluntatis hominum gratia, in vestris pagis hodie dominantur: de sapientia atque industria, quibus ipsi, inter tot rerum discrimina, populo isti moderamini, in idque contenditis ut — quod est caput quodque Nobis maxime est cordi — religionis iura et officia sarta tecta conserventur. Illud praeterea memorare Nobis placet, quod Helvetici ipsi Magistratus Dei nomen cum fiducia ac reverentia in orationibus suis publicis proferre non omittant et, perhonorificum morem secuti, quoties publica nuntia edicant, se suosque cives tutelae divinae semper commendent. Ita vos plane vestigiis inhaeretis maiorum vestrorum, qui, ineunte Augusto mense anni MCCXCI, foedus inter se perpetuum «in nomine Domini» renovarunt. Hoc autem ominantes, ut cives vestri idem cum Beato Nicolao de Flue sentiant atque operentur, qui et christianae pietatis ardore et Confoederationis Helveticae studio excelluit, fervidis votis gentem vestram prosequimur, ut regnum Christi in eius filiis magis magisque constabiliatur, ut, omnigena prosperitate adaucta, munus sibi divinitus adsignatum melius in dies perficere queat. Denique, sollemni hac conditae Confoederationis memoria, Deum instanti prece efflagitamus, ut praeclaram Helvetiam iugiter tueatur, omnia mala et pericula ab eadem avertat, eiusque Moderatores populumque universum caelestibus bonis affatim ditare benigne velit.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XII mensis Iulii, anno MDCCCCXXXXI, Pontificatus Nostri tertio.

PIUS PP. XII

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

CSANADIENSIS

DECRETUM

ERECTIONIS CAPITULI CATHEDRALIS

Postulante Exc. P. D. Iulio Glattfelder, Episcopo Csanadiensi, ut, ad divinum cultum in sua cathedrali Ecclesia Beatae Mariae Virginis Magnae Hungarorum Dominae, in civitate *Szeged*, augendum, itemque ad senatum dignorum sacerdotum sibi constituendum, apostolica auctoritate cathedrale Capitulum ibidem erigeretur, Ssmus Dominus Noster Pius Div. Prov. Pp. XII, peropportunum hoc fore cernens, oblatis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter eadem Sanctitas Sua, apostolicae potestatis plenitudine, suppleto quatenus opus sit quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, Capitulum in memorata cathedrali Ecclesia B. Mariae Virginis Magnae Hungarorum Dominae, in civitate *Szeged*, erigendum statuit, constans unica dignitate, Praeposito videlicet, et quinque canonicatibus simplicibus, inter quos officiis theologi et poenitentiarii et parocho Ecclesiae cathedralis, qui curam actualem paroeciae servabit.

Nominatio canonicorum Capituli ad normam iuris communis fiat, ideoque dignitas Praepositi, semper reservata manebit Apostólicae Sedi, salvis insuper ceteris reservationibus Pontificiis, ad normam can. 1435 C. I. C.

Quoniam vero presbyteri in canonicos eligendi aliis ecclesiasticis muniis distenti sunt, Ssmus Dominus Noster chorale servitium benigne reducit tantummodo ad Matutinum et Laudes diebus Dominicis et Festis de praecepto, firma obligatione, in quantum fieri poterit, applicandi iisdem diebus Missam conventualem cum canonicorum adsistentia.

Praepositus vero atque canonici deferent habitum choralem vigentem in Hungaria, nempe mozetam violacei coloris et rochetum, addito pro solemni occasione signo capitulari e collo pendente.

In ceteris vero omnibus Sanctitas Sua statuit ut iuris communis praescripta adamussim serventur.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda Ssmus deputare dignatus est Exc. P. D. Angelum Rotta, Archiepiscopum titularem Thebanum in Graecia, Nuntium Apostolicum in Hungaria, eidem tribuens facultates omnes ad id necessarias et opportunas, cum onere quamprimum mittendi ad hanc S. Congregationem Consistorialem authenticum exemplar peractae exsecutionis actus.

Quibus super rebus Sanctitas Sua praesens edi iussit Consistoriale Decretum, perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae expedirentur. Contrariis quibusvis minime obstantibus, etiam speciali mentione dignis.

Datum Romae, ex Aedibus S. C. Consistorialis, die 14 Iunii 1941.

Fr. R. C. Card. Rossi, *a Secretis.*

L. ✠ S.

V. Santoro, *Adsessor.*

SACRA CONGREGATIO CONCILII

INSTRUCTIO

DE FIDELIBUS EXHORTANDIS UT MISSAE SACRIFICIO FREQUENTER AC DEVOTE INTERSINT.

Saepenumero in tot rerum calamitatibus, quibus undique premimur, Ssmus Dominus Noster Pius Pp. XII populum christianum ubique terrarum effusa caritate adhortatus est ut publicas privatasque preces effundat pro praesentibus societatis humanae necessitatibus et praesertim ad populorum pacem conciliandam, Divini Magistri promissiones recolens: « Petite et dabitur vobis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis » (Matth. VII, 7; Luc. XI, 9).

Hunc quoque in finem idem Ssmus Dominus Noster, Motu proprio *Norunt profecto* diei 27 Octobris 1940, Eucharistica Sacrificia ubique terrarum offerri iussit, quum nihil magis valeat « ad Numinis maiestatem placandam propitiandamque quam Eucharisticum Sacrificium, quo ipse humani generis Redemptor *in omni loco sacrificatur et offertur... oblatio munda* ». Divinum enim Sacrificium quod in Missa peragitur et in quo,

docente Tridentina Synodo: « idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel se ipsum cruente obtulit » (sess. XXII, cap. 2), non solum laudis et gratiarum actionis, sed etiam vere propitiatorium est tam pro vivis quam pro defunctis.

Quapropter populi christiani in saeculorum cursu nunquam destiterunt ut tam pro sui ipsorum necessitatibus quam pro fidelibus in Christo defunctis nondum ad plenum purgatis, a solis ortu usque ad occasum, haec oblatio munda offerretur, eidemque frequenter ac devote interesse consuevissent.

At, fide ac pietatis studio languescentibus, omnes norunt sanctissimum hunc morem in dies intermitti, atque fideles complures, divinarum rerum amore posthabito, Missae Sacrificium nec uti oportet colere, nec sicut antea pro suis necessitatibus ac defunctorum suffragiis ut applicetur ferventer curare, dum ad alia minus salutaria haud raro se convertere non dubitent.

Quapropter haec Sacra Congregatio Concilii, de speciali Ssmi Domini Nostri Pii Pp. XII mandato, omnes ubique terrarum Ordinarios vehementer hortatur, ut per semetipsos ac per curatores animarum aliosque utriusque cleri sacerdotes instanter christifideles edoceant:

1° de Sacrificii Missae natura et excellentia atque de eiusdem finibus ac salutaribus effectibus pro mundi vita, et demum de eiusdem ritibus ac caeremoniis, ut ipsi non passive tantum eidem intersint, sed cum sacerdotibus Sacrum peragentibus unum sint animo et corde, fide et caritate;

2° de gravi, qua tenentur, obligatione Missam audiendi, quotquot rationis usu compotes sunt, diebus dominicis aliisque festis de praecepto (can. 1248 Codicis I. C.), quum agatur de praecipuo actu cultus externi et publici, Deo debiti, quo supremum in nos imperium Dei Creatoris, Redemptoris et Conservatoris agnoscimus;

3° de Sacrificii Missae vi impetratoria et propitiatoria, qua bene perspecta ac cognita, fideles alliciantur ad eidem Sacro frequenter ac etiam quotidie, si fieri potest, adsistendum, ad gratias Deo agendas, ad beneficia obtinenda, ad peccata expianda cum propria tum eorum qui vita sunt functi, memores moniti Sancti Augustini: « Audeo dicere quod Deus, cum esset omnipotens, plus dare non potuit; cum esset sapientissimus, plus dare nescivit; cum esset ditissimus, plus dare non habuit » (tract. 84 in Ioannem);

4° de coelestis convivii saluberrima participatione quoties Sacro intersunt, quo arctius Christo adhaereant, prout est in Decreto huius Sacrae Congregationis diei 20 Decembris 1905 *De quotidiana SS. Eucharistiae*

sumptione, et ad mentem eiusdem Tridentinae Synodi : « Optaret quidem sacrosancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacrificii fructus uberior proveniret » (sess. XXII, cap. 6), iuxta illud ipsius Iesu Christi : « Ego sum panis vivus qui de coelo descendi. Qui manducat ex hoc pane vivet in aeternum. Qui manducat me et ipse vivet propter me » (Ioann. VI) ;

5° de dogmate Sanctorum communionis, cuius vi Sacrificium Missae uberrime applicatur non tantum pro fidelibus defunctis, qui piaculari igne suas expiant humanas labes, sed etiam pro hominibus qui vitam degunt, quippe qui, tot tantisque angustiis et calamitatibus, in praesens potissimum, undique pressi, indigent ut misericordiam apud Deum inveniant et auxilium consequantur.

Quo vero facilius locorum Ordinarii ceterique animarum curatores haec praescripta in rem deducant, saepius fideles revocent ad vitam secundum Christi praecepta vere componendam, ea omnia in sui vivendi ratione devitantes, quae fidem moresque christianos vel minus deceant. Quare improbare ne cessent immodicos sumptus, quos fideles vanitate adlecti, in variis vitae adiunctis aliquando insumunt, illo quandoque praetermisso Sacrificio Missae, quod omnium cumulate suffragiorum et gratiarum potissimum adiumentum et divitiarum Dei infinitus est thesaurus.

Denique ad omnia haec assequenda curatores animarum adiutricem requirant operam Confraternitatum seu Sodalitatum Sanctissimi Sacramenti, quae in unaquaque paroecia, ad normam canonis 711 § 2 Codicis I. C., ideo praecipue institutae sunt, ut omnibus fidelibus exemplo auxilioque sint in praestando atque alendo cultu Eucharistico.

Quodsi, Deo favente, populus christianus huiusmodi hortationibus Ordinariorum et curatorum animarum alacri animo obsequutus fuerit, Eucharisticum Sacrificium, quo nihil Deo honorabilius nihil iucundius esse potest, fiet revera pro totius mundi salute fons vitae et sanctitatis.

Datum Romae, die 14 mensis Iulii, anno 1941.

F. Card. MARMAGGI, *Praefectus.*

I. Bruno, *Secretarius.*

SACRA CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Singulis, ut infra, datis decretis Sacri Consilii Christiano Nomini Propagando, Ssmus Dominus Noster Pius div. Prov. Pp. XII dignatus est sequentes providere Ecclesias, nimirum:

die 8 Iulii 1941. — Cathedrali Ecclesiae Cairnensi, nuper erectae, praefecit Exc. P. D. Ioannem Heavey, hactenus Episcopum Titularem Coracesiotanum et Vicarium Apostolicum Cookpolitanum.

— Titulari episcopali Ecclesiae Egugensi R. P. Vitum Chang, Societatis Verbi Divini sodalem, quem constituit Vicarium Apostolicum de Sinyangchow.

— Titulari episcopali Ecclesiae Dysthiensi R. P. Andream Dupont, e Societate Missionariorum Africae, quem constituit Vicarium Apostolicum de Bobo-Dioulasso.

— Titulari episcopali Ecclesiae Phatanensi R. P. Ioannem Wolff, Congregationis Sancti Spiritus presbyterum, quem constituit Vicarium Apostolicum de Majunga.

II

NOMINATIONES

Decretis, ut infra, datis Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renunciavit:

die 30 Maii 1941. — R. D. Ioannem Kao, e clero saeculari sinensi, *Praefectum Apostolicum de Chowchih.*

die 13 Iunii 1941. — R. P. Georgium Mercier, e Missionariis Africae, *Praefectum Apostolicum Ghardaiensem.*

die 20 Iunii 1941. — R. P. Aemilium Favarato, O. M. Conv., *Praefectum Apostolicum de Hinganfu.*

SACRA CONGREGATIO RITUUM

I

CONSTANTIEN. ET ABRINCEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS VENERABILIS SERVAE DEI PLACIDAE VIEL, SECUNDAE SUPERIORISSAE GENERALIS INSTITUTI SCHOLARUM CHRISTIANARUM A MISERICORDIA.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum; nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis, in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.

Interroganti cuidam: *Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam?* Iesus respondit: *Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus* (Mt., 19, 16-17). Unus enim Deus est essentialis bonitas, sicut est ipsum esse. Quoniam autem bonitas ad hoc tendit ut se diffundat, hinc est quod Deus mundum creaverit atque hoc attributum, gratuito, ratione praeditis creaturis communicet, quae idcirco sunt bonae, quia Eius bonitatem participant; eo autem magis sunt bonae, quo magis divina munificentia prout vult, et ea mensura, qua vult, eas ditat et insimul ipsae, libere quidem, sed non sine Eius gratiae adiumento, Eum imitari contendunt, adeo ut cum Apostolo dicere queant: *Gratia Eius in me vacua non fuit* (1 Cor., 15, 10).

Bonitate hac Deus animam Venerabilis Placidae Viel ita mire ditavit, ut eius virtutes omnes sub bonitatis specie prodirent, ideoque, quotquot eius consuetudine fruebantur, *Bonam Matrem* passim appellabant. Iuvat autem de eius vita aliquid delibare.

In oppido vulgo dicto Quettehou, intra Constantiensis dioecesis fines, in Gallia, die 26 Septembris anno 1815, octava ex undecim filiis, quos honesti coniuges Hervaeus Viel et Angela La Lande genuerunt, nata est infans, cui eodem die in sacri baptismi susceptione nomina: Victoria, Eulalia, Iacoba imposita sunt. Intra domesticos parietes in pietate adeo succrevit, ut iam inde a prima adolescentia sanctitatis fama praestaret.

Unde factum est, ut aequales, ab eius suavi comitate allectae, ei se adiungerent, eamque, catechesim docentem deque caelestibus loquentem, admirantes auscultarent. Ad sacram mensam admissa mirabiles ad perfectionis semitam progressiones fecit, iugiter, vel in manualibus operibus exercendis, orationi instando. Parochus haec perpendens, de specialibus divinis consiliis super puella coniectavit, nec coniecturam eventus fefellit. Sexdecim annos nata ad religiosam disciplinam animum appellere coepit. Quapropter anno 1833 ad Institutum Sororum Scholarum Christianarum a Misericordia, a S. Maria Magdalena Postel in veteri Abbatia « Saint-Sauveur-le-Vicomte » conditum, advolavit, ab eademque Sancta fuit benigne excepta. Post biennium, die 1 Maii sacrum induit habitum, nomen Placidae assumpsit, atque tirocinium inchoavit, in quo eius virtutes sic enituere, ut exemplo aliis praeiret. Die 21 Septembris anno 1838 religiosa vota emisit. Sancta Instituti fundatrix, Sororis Placidae virtutes probe perpendens, eidem plurima et gravia munera concredidit.

Ei enim probandarum et tiruncularum magisterium commisit; item ut eleemosynas, per varias Europae regiones peregrinando, colligeret ad Ecclesiam, iam Abbatialem, maxima ex parte dirutam, a fundamentis instaurandam; ut apud civiles magistratus Parisiis gereret negotia; ut novas fundaret atque constitueret domos, aliaque ad Instituti bonum pertractaret: quae omnia summa cum laude prudenter sapienterque est exsecuta. Anno 1846 in domum principem reversa, pretiosae in Domino morti Sanctae Mariae Magdalenae die 16 Iulii adstitit.

In generalem Superiorissam a Capitulo electa, gravissimum hoc officium, Deo plenissime confisa, S. Mariae Magdalenae vestigia premens, perfecte administravit. Sua enim industria et labore Ecclesia Ssmi Salvatoris instaurata consecrari potuit, sororum numerus mire auctus pluresque aliae, in alma quoque hac Urbe, conditae Instituti domus fuere, quod ab Apostolica Sede per decretum Laudis a. 1859 fuit approbatum.

« Bonus est Deus, ait s. Bernardus, temporale beneficium largiter impendendo, patiens est, ultionem peccatorum misericorditer differendo, longanimis est, reos ad paenitentiam invitando » (Sent.) Venerabilis Placida, *Bona Mater,* Dei gloriam proximorumque salutem, maxime filiarum, iugiter prae oculis habens, prudens, patiens, longanimis, familiam a Deo sibi commissam gubernabat; eius autem virtutes adeo fulgebant, ut S. Mariae Magdalenae Postel simillima imago haberetur. Quod S. Ioannes Vianney testatus est, quum sciscitanti cuidam puellae de religioso Instituto capessendo, ipse Institutum Sororum Scholarum Christianarum indicavit, adiungens: « Fundatrix est sancta, ea autem,

quae modo eius tenet locum, eiusdem vestigia premit ». Re sane vera Sorores omnium virtutum exempla abunde ex ea hauriebant. De se enim Serva Dei, etsi tanta pro Instituti bono gessisset, humillime sentiebat; paupertatem summe adamabat; suavi alloquio sororum animos adeo mulcebat, ut eas sibi, veluti bonae matri, devinciret. Orationi iugiter dedita, mentem a Deo nunquam retrahere sollemne habuit. Deus autem hanc pietatem pluribus donis munifice rependit. Pluries enim seu frumentum, seu cibi, seu pecunia abunde multiplicata : eius industria peccatores ad bonam frugem conversi : cordium quoque scrutationis et prophetiae donis eam ditatam fuisse acta demonstrant.

Meritis plena die 4 Martii mensis a. D. 1877, diris morbis affecta, Ecclesiae sacramentis roborata, pro sui Instituti bono vitam Deo offerens ad Eum sancte advolavit.

Sanctitatis fama, qua dum viveret ipsa enitebat, post mortem magis magisque inclaruit. Quare Ordinaria auctoritate in Curia Constantien. et Abrincen. a. 1923 constructi sunt processus, Romamque delati. Sequenti anno die 23 Iulii super scriptis editum est decretum. Die 22 Iulii a. 1925 Pius Pp. XI fel. rec. Commissionem Introductionis Causae obsignavit. Edito a. 1926 decreto super liturgico cultu nunquam praetito, confectisque Apostolicis inquisitionibus, recognito quoque iuridico harum valore, coram Rmo Cardinali Alexandro Verde die 27 Aprilis a. 1937 Antepraeparatorius coetus super Servae Dei heroicis virtutibus habitus fuit, quem Praeparatorius die 25 Octobris a. 1938 est subsequutus. Denique die 21 proxime elapsi mensis in Generali Congregatione coram Ssmo D. N. Pio Pp. XII, idem Revmus Cardinalis Dubium proposuit discutiendum : *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine earumque adnexis in gradu heroico in casu et ad effectum, de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores suam quisque sententiam ediderunt, Beatissimus vero Pater, his suffragiis benigne auditis, rem esse coram Deo enixis precibus adhuc maturandam dixit.

Ut autem suam proferret sententiam, Dominicam hanc in Septuagesima, 9 Februarii mensis, destinavit. Convocatis itaque Rmis Cardinalibus Carolo Salotti, Episcopo Praenestino, S. R. C. Praefecto, et Alexandro Verde, Causae Ponente seu Relatore, nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei Promotore Generali meque infrascripto Secretario, divinoque sacrificio sancte oblato, pronunciavit : *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Caritate tum in Deum cum in proximum, nec non de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudine ea-*

rumque adnexis Venerabilis Servae Dei Placidae Viel *in gradu heroico in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 9 Februarii a. D. 1941.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

II

TAURINEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVI DEI MARCI ANTONII DURANDO, SACERDOTIS CONGREGATIONIS MISSIONIS, FUNDATORIS INSTITUTI SORORUM A IESU NAZARENO.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Quod S. Vincentii a Paulo vitam apprime perpendentium oculos percellit, sunt magnifica ac pene innumera caritatis opera, quibus hic Sanctus proximorum necessitatibus omne genus tum spiritualibus, tum temporalibus succurrere sategit; quare iure merito Leo decimus tertius « omnium societatum caritatis in toto catholico orbe exsistentium, et ab eo quomodocumque promanantium, peculiarem apud Deum patronum declaravit et constituit ». Verum intime eius animum perscrutando, tantae virtutis radix in eius profundissima humilitate est agnoscenda, quae eum divinae munificentiae aptissimum instrumentum comparavit. « Caritatis venenum, aiebat, est superbia, humilitas vero eius fulcimen: humilitas ceteras omnes virtutes in animam inducit ». Documentum hoc Congregationis Missionis a se conditae quasi signum constituit, sub quo huius sodales praelia Domini in animarum salute certare debeant; sed vero hucusque, Deo adiuvante, hac ratione hi generose decertant. Deus autem fideles suos servos large rependit; nonnullos enim e Vincentiana familia persaepe suscitat qui, legiferi Patris vestigia pone sequentes, seu sanguinis effusione, seu evangelica praedicatione aliisque sacris ministeriis, seu caritatis operibus, Christi Ecclesiam mirifice illustrant.

Quos inter Marcus Antonius Durando merito est annumerandus. Et

sane, Monte Regali, Pedemontanae regionis urbe, die 22 Maii mensis, anno 1801 e piis honestisque parentibus Iosepho atque Angela Vinai natus, sub eorum disciplina adolevit. Mundi vanitate agnita, divinamque vocationem ad religiosam vitam persentiens, octavum supra decimum annum agens in Congregationem Missionis S. Vincentii a Paulo advolavit, tirocinio Ianuae posito. Anno 1820, Sarzanae, sacra vota, summo animi gaudio nuncupavit, quadriennio autem post, Sacerdotio est auctus. Animarum zelo exardescens, sacris expeditionibus se dedidit, laetos animarum manipulos colligens, superioribus suis maximopere probantibus. Qui non doctrinam tantum, sed et eximiam viri pietatem, regularum ad unguem observantiam vigilemque prudentiam attente ponderantes, eum vix triginta annos agentem, Taurinensi domui praeposuerunt, quinque autem annis post, Pedemontanae Provinciae visitatorem; demum anno 1862 Commissarium extraordinarium, super omnibus Italiae domibus potestatem habentem, constituere. Nec coniectura eos fefellit. Sub eius enim regimine plures et restitutae et noviter erectae fuere domus, sodalium auctus numerus, regularum custodia, diligentissime quidem, sed simul suaviter exacta, adeo ut in tota Italia, praesertim vero in Pedemontana Provincia, suae Congregationis sedulissimus tutor merito sit habendus. Nec apud suos tantum eius animi vis virtusque se continuit; fere enim nullum fuit in Taurinensi civitate opus ad salutem pauperum vel ad cleri disciplinam fovendam, cuius ipse particeps non fuisset. Nec satis. Probe enim noscens quantum emolumenti Societas Puellarum a Caritate christiano populo attulisset, auctor fuit ut in Italia quoque huius tam bene de Ecclesia meriti Instituti domus constituerentur: hoc autem tam felici successu factum est, ut modo plura Puellarum millia in hoc regno in populi bonum impigre adlaborent. Item ut pium opus a *Fidei Propagatione,* a Serva Dei Paulina Maria Jaricot Lugduni nuper constitutum, suos surculos apud Italos quoque diffunderet, operam efficaciter dedit.

Ut plurium piarum puellarum votis occurreret, anno 1865 *Institutum Sororum a Iesu Nazareno* condidit, cui Servam Dei Aloisiam Borgiotti praeposuit regulasque sapientissimas tradidit. Quattuor post annos, non sine divinae Providentiae consilio, factum est ut eidem Instituto infirmorum honestioris census, in suis domibus degentium, cura adderetur. Plures huius Instituti domus, Episcopis approbantibus, variis in locis sunt constitutae.

Etsi tot tantaque pro Dei gloria patraverat, servum inutilem, ut iam S. Vincentius, se existimabat magnumque peccatorem; maxima tamen eius fiducia in Dei misericordia, Beata Virgine opitulante, erat.

Aetate, laboribus atque infirmitate fractus, die 10 Decembris anno 1880, sacramentis morientium roboratus, lectissimam animam Deo reddidit.

Ordinaria auctoritate super fama sanctitatis, scriptis atque obedientia Urbani VIII decretis, servis Dei liturgicum cultum prohibentibus, in Curia Taurinensi annis 1928-1930 et 1940 confectae sunt iuridicae inquisitiones, atque ad Sacram Rituum Congregationem delatae. Interim Summis Pontificibus Pio XI s. m. regnantique Pio XII plures porrectae sunt Postulatoriae Litterae pro Causae Introductione.

Annis 1934 et 1937 duo S. R. C. edidit decreta quibus edixit, perpensis scriptis Servi Dei, nihil obstare quominus ad ulteriora procedi quiret.

Omnibus itaque servatis de iure servandis, Revmo D. Iosepho Scognamillo, Congregationis Missionis Procuratore et Postulatore Generali, instante, Emus ac Revmus Cardinalis Raphaël Carolus Rossi, Causae Relator, in Ordinariis S. R. C. Comitiis die 11 Martii huius anni habitis, dubium proposuit disceptandum: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Emi ac Revmi Patres, auditis tum Cardinalis Ponentis relatione, tum Officialium Praelatorum suffragiis scripto datis, nec non R. P. D. Salvatore Natucci Fidei Promotore Generali, omnibus rite perpensis, rescribendum censuere: *Affirmative,* nempe: *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.*

Facta autem Ssmo D. N. Pio Papae XII relatione a subscripto Cardinali subsignata die, Sanctitas Sua, Emorum Patrum rescriptum ratum habens, propria manu *Commissionem Introductionis Causae Servi Dei Marci Antonii Durando* signare dignata est.

Datum Romae, die 23 Martii, Dominica IV Quadragesimae a. D. 1941.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

III

ULYSSIPONEN.

CANONIZATIONIS B. NONII ALVAREZ PEREIRA, FRATRIS LAICI PROFESSI ORDINIS FRATRUM CARMELITARUM.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Die 1 Novembris anno Domini 1431, in Carmelitarum Ulyssiponensi Conventu, suis impensis munifice fundato, Frater Nonius Alvarez Pereira, in extremo agone luctans, dum, ex Evangelio, Christi Domini e cruce pendentis verba legebantur: *Ecce filius tuus, Ecce mater tua*, quasi ab ipsa Dei Genitrice invitatam, inter sanctorum choros inserendam, lectissimam animam exhalavit.

Nonius a. 1360 nobilissimo loco natus, a prima adolescentia militiae adlectus, adeo militari virtute praestitit, ut, vix tres supra viginti annos natus, supremum Lusitani exercitus imperium fuerit assecutus, quod usque ad sexagesimum secundum annum gloriose retinuit, optime de patria et religione meritus; ad Comestabilis quoque dignitatem a Rege fuit evectus.

Magnus quidem dux fuit, maximus tamen in christianarum virtutum exercitio, praecipue vero in ferventissima erga sacrosanctum Eucharisticum mysterium atque tenerrima erga beatissimam Virginem religione, a quibus creberrimas memorandasque victorias, quas de hostibus reportavit, referebat acceptas.

Ut christianae perfectioni liberius vacaret, dignitates quibus fuerat abunde cumulatus, summum imperium, divitias mundique illecebras generose contempsit, atque Carmeliticum Ordinem, in humili Fratris Donati gradu, sub Nonii a Sancta Maria nomine, est amplexatus: in quo admiranda virtutum omnium exempla exhibuit.

Meritis plenus terrestre exilium in caeleste regnum commutavit.

Tanta fuit insignis huius Viri sanctitatis fama, ut vix ab eius obitu populi clerique voce sanctus nuncuparetur, liturgicoque cultu legitime honestaretur. Quo iuridice comprobato, Benedicti Papae XV auctoritate Sacra Rituum Congregatio die 23 Ianuarii mensis anno D. 1918 decretum Confirmationis cultus edidit, cuncto Lusitano populo plaudente.

Exeunte nuper octavo saeculari anno a Lusitania proprii iuris facta,

Ssmo D. N. Pio Papae XII a Summo Reipublicae Magistratu, ab Emo et Rmo D. Cardinali Emmanuele Gonçalves Cerejeira, Patriarcha Ulyssiponen., una cum omnibus Archiepiscopis et Episcopis totius Lusitani populi atque ab inclito Carmelitico Ordine ferventes oblatae sunt preces, ut tanti herois Canonizationis Causa resumeretur, sicque via sterneretur ad supremos altarium honores ei ab Apostolica Sede conferendos.

Quare Rmo P. Eugenio Driessen, Ordinis Carmelitarum generali Postulatore instante, in Ordinaria Sacrorum Rituum Congregatione, die vicesimo septimo Maii anni huius, habita, Emus ac Revmus D. Cardinalis Raphaël Carolus Rossi, Causae huius Ponens seu Relator, dubium proposuit discutiendum *An signanda sit Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur*. Emi ac Rmi Patres, post Emi Ponentis relationem, audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, omnibus perpensis, rescribendum censuere: *Affirmative* nempe *signandam esse Commissionem Reassumptionis Causae, si Ssmo placuerit*.

Facta postmodum, subsignato die, Ssmo D. N. Pio Papae XII per eumdem Fidei Promotorem generalem relatione, Sanctitas Sua, Eminentissimorum Patrum rescriptum ratum habens, *Commissionem Reassumptionis Causae B. Nonii Alvarez Pereira* propria manu obsignare dignata est.

Datum Romae, die 28 Maii anno Domini 1941.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus*.

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius*.

IV

BERGOMEN.

BEATIFICATIONIS ET CANONIZATIONIS SERVAE DEI GERTRUDIS COMENSOLI, FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM A SSMO SACRAMENTO.

SUPER DUBIO

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.

Servae Dei Gertrudis Comensoli vitam perpendentes illa Apostoli verba subeunt: *Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia et ignobilia*

mundi et contemptibilia elegit Deus... ut non glorietur omnis caro in conspectu eius (1 Cor., 1, 27-29).

Et sane: Serva Dei die 18 Ianuarii a. D. 1847 ex pauperibus atque piis parentibus, in loco v. d. Bienno in Brixiensi dioecesi nata, in sacro baptismate Catharinae nomen accepit. Pietatis germina in eius animo genitorum cura inserta, Dei gratia munifice adiuvante, mire succreverunt. Munifice diximus, quia a tenella aetate ardenti adeo in Eucharisticum cibum flagrabat amore, ut, quasi divino acta impulsu, clam ad sacram communionem primum accesserit, accepta deinde venia quotidie sacra hac esca se reficiendi. Ut suorum egestatem quodammodo sublevaret, famulatui per tresdecim circiter annos se addixit, sanctitatis interim famam sibi comparando. Magnifica enim modestiae, caritatis in pauperes atque infirmos, humilitatis, obedientiae, animarum zeli, praecipue vero erga Sanctissimum Sacramentum, pietatis exempla praebuit. Honestissimis nuptiis recusatis, ad novum religiosum institutum condendum animum apposuit, cuius praecipuus finis esset adoratio Sanctissimi Sacramenti, cui, Leonis Papae XIII consilio, orphanarum derelictarum necnon puellarum in discrimen adductarum curam adiecit. Institutum anno 1882, die 15 Decembris, initium feliciter sumpsit, biennio post Serva Dei religiosas induit vestes, assumpto Gertrudis a Sanctissimo Sacramento nomine. Novem supra decem annos Institutum, licet innumeris quassata aerumnis, caelesti prudentia moderata est, pluresque domos constituit. Die 18 Februarii mensis anno 1903 sancte quievit.

Sanctitatis fama, quam dum viveret, omnium virtutum splendore sibi comparaverat, post eius obitum mire percrebuit. Quare in Bergomensi Curia, annis 1928-1932, ordinaria auctoritate constructi sunt processus super fama sanctitatis necnon super scriptis atque obedientia Urbani Pp. VIII Decretis, quae liturgicum cultum Servis Dei prohibent. Interim plures Pio Pp. XI ferventes postulatoriae litterae oblatae fuere, ut Beatificationis Servae Dei causa apud Sacram hanc Congregationem introduceretur.

Die 22 Maii mensis a. 1935 Sacra haec Congregatio, Servae Dei scriptis perpensis, nihil obstare, quominus ad ulteriora procedi quiret, edixit.

Omnibus itaque servatis de iure servandis, R. P. D. Iosepho Rossi, Sacrae Paenitentiariae a Secretis atque Causae huius postulatore instante, in Ordinariis Sacrae huius Congregationis comitiis diebus 21 Novembris a. 1939 atque 27 Maii anni huius habitis, Emus ac Revmus D. Cardinalis Ianuarius Granito Pignatelli di Belmonte, Episcopus

Ostien. et Albanen., Sacri Collegii Decanus, atque Causae Ponens seu Relator, dubium proposuit discutiendum: *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur.* Emi ac Revmi Patres, auditis tum Cardinalis Ponentis relatione, tum Officialium Praelatorum suffragiis scripto datis; audito quoque R. P. D. Salvatore Natucci, Fidei Promotore generali, omnibus mature perpensis, rescribendum censuere: *Affirmative,* nempe: *Signandam esse Commissionem Introductionis Causae, si Sanctissimo placuerit.*

Facta autem, subsignata die, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae XII relatione ab infrascripto Cardinali, Sanctitas Sua, Eminentissimorum Patrum rescriptum ratum habens, propria manu *Commissionem Introductionis Causae Servae Dei Gertrudis Comensoli* signare dignata est.

Datum Romae, die 4 Iunii a. D. 1941.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

V

S. THOMAE DE MELIAPOR

CANONIZATIONIS B. IOANNIS DE BRITTO MARTYRIS, SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Nobilissimae Lusitanae gentis germen, inclitae Societatis Iesu sodalem, B. Ioannem de Britto, qui sanguinem pro Christi confessione generose fundere non dubitavit, ad supremos altarium honores munifice Deus evehere velle videtur.

Anno 1693 Ioannes capitis obtruncatione, in Madurensi missione, gloriosus martyr occubuit; anno 1853 in Vaticana Basilica sollemnis beatificationis gloriam, Pii IX auctoritate, est assecutus; qui Pontifex Reassumptionis Causae Commissionem sequenti anno obsignavit.

Ex pluribus signis a Deo, Beati Ioannis intercessione, patratis, duas sanationes selegerunt actores, quae veri miraculi notas exhibere visae sunt, ut ad Canonizationis gloriam ei conferendam via sterneretur. Quare per remissoriales litteras ab hac Sacra Congregatione concessas, super his signis apostolica auctoritate inquisitiones in Portugal-

lensi Curia perfectae sunt. Pro harum iuridico valore Sacra haec Congregatio die 28 Februarii elapso anno approbationis decretum edidit.

Prior, quae exhibetur, sanatio in loco v. d. Paredes, non longe ab urbe Portucalia, anno 1937 contigit. Maria Gloria Ferreira da Rocha Malheiro gravissima periviscerite abdominali dextera laborabat, uti quoque non solum radiographicis tabulis sed et chirurgica sectione confirmatum fuerat. Morbus eousque processerat, ut nulla vitae spes amplius effulgeret. Quare sacro viatico extremaque unctione fuerat roborata. Parochus, qui magna in B. Ioannem de Britto religione ferebatur, apud eam eiusque virum institit, ut ad Beatae Mariae Virginis sanctuarium de Fatima infirma, si vellet accederet quidem, sed sanationem idcirco postularet, ut haec pro eiusdem Beati Canonizatione assequenda valeret. Missae quoque sacrificium eo fine idem celebravit. Maria Gloria, parocho obediens, motoria raeda, ad lecti formam redacta, caute Fatimam vecta fuit; ibique miram sanationem obtinuit, omnibus morbi adiunctis illico pleneque cessantibus. In recuperata valetudine perseveravit. In arte periti hanc sanationem ultra naturae leges ab ipso Deo fuisse patratam concorditer edicunt.

Altera sanatio in loco v. d. Leça de Palmeira prope eamdem urbem, anno 1938 evenit. Decennis puer Ioachim Antonius Monteiro Marques da Silva, Iulio mense, dolore in dextero calcaneo tentari coepit, qui ingravescens, clinice et radiographice agnitus fuit a tabifica tuberculari osteite, quae os continenter exedebat, procedere. Si curationes viresque naturae prospere cessissent, sanatio non minus unius anni spatio medentium iudicio obtineri potuisset. Verum morbus in peius ruebat, nec spes ulla habebatur, ut depelleretur. Incassum naturae subsidiis cedentibus, mater, infirmus aliique fervidas preces effuderunt, B. Ioannis de Britto patrocinium invocantes ad sanationem obtinendam. Mater summo mane diei 19 Septembris, feria secunda, aegro pedi imaginem cum particula de Beati reliquiis apposuit. Puer paulo post placido somno corripitur. Circa horam octavam cum dimidio expergefactus, omnino sanatum se sentit, e lecto surgit, pedem pavimento affligit vehementer, quin dolore afficiatur.

Primus ex medicis, qui sanationem probavit, fuit pater, ex marino itinere inopinate tunc reversus. Miraculum conclamant medentes, tresque periti ex officio a Sacra hac Congregatione adlecti.

De utraque hac mira sanatione in Antepraeparatorio coetu, die 7 Ianuarii mensis hoc anno, coram Rmo Card. Carolo Salotti, Causae Ponente habito, disceptatum fuit, dein in Praeparatorio die 6 Maii, demum in Generali coram Ssmo D. N. Pio Papa XII die 17 Iunii mensis, in quo

idem Cardinalis dubium proposuit: *An et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.* Revmi Cardinales, Officiales Praelati, Patresque Consultores singuli sua suffragia tulere; quibus benigne exceptis, Beatissimus Pater iudicium suum edere distulit, ut ipse ceterique adstantes ad Deum preces funderent, quibus uberior divini luminis claritas in re tanti momenti sibi praesto esset.

Sollemnem itaque diem hunc elegit, B. Pauli Apostoli, qui pro Christi amore sanguinem generose effudit, commemorationi dicatum, ut Beato quoque Ioanni de Britto, martyrii gloria iam honestato, per praesens decretum novum decus addatur.

Quocirca arcessitis subscripto Cardinali, Causae Relatore, nec non R. P. Salvatore Natucci, Fidei generali Promotore, meque infrascripto Secretario, sacrosancta Hostia piissime litata, edixit: *Constare de duobus miraculis a Deo per B. Ioannis de Britto intercessionem patratis,* nempe *de instantanea perfectaque sanatione cum Mariae Gloriae Ferreira da Rocha Malheiro a periviscerite abdominali dextera, tum Ioachim Antonii Monteiro Marques da Silva ab osteite tuberculari calcanei dexteri.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 30 Iunii anno D. 1941.

✠ C. Card. Salotti, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

VI

NEAPOLITANA seu LYCIEN.

CANONIZATIONIS B. BERNARDINI REALINO CONF., SACERDOTIS PROFESSI SOCIETATIS IESU.

SUPER DUBIO

An et de quibus miraculis, post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem, constet in casu et ad effectum de quo agitur.

Evangelii pericopen: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres aut sorores aut patrem aut matrem... aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam aeternam possidebit* (Mt., 19, 29), S. Bernardus explanans: « Illud, inquit, in via, haec in patria, illud consolatio praesentis laboris, haec futurae felicitatis consummatio est... Hoc ergo cen-

tuplum adoptio filiorum est, libertas et primitiae spiritus, deliciae caritatis, gloria conscientiae, regnum Dei, quod intra nos est, non utique esca et potus, sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto. Gaudium sane non modo in spe gloriae, sed etiam in tribulationibus ... Haec virtus ex alto, quae Andream fecit amplecti crucem, Laurentium ridere carnificem, Stephanum pro lapidantibus flectere genua ad orationem » (Declam. in Ev. S. Matth., c. fin.).

B. Bernardinus Realino pro maiore Dei gloria omnia reliquit, bona, possessiones, ampla iura, magistratus aliaque publica munia, quibus iam fuerat honestatus, humilemque religiosam vitam amplexatus est. Deus vero, fidelis retributor, centuplum ei rependit aeternamque vitam.

Honoribus enim longe maioribus, quam illi quos mundus ei dederat, eum magnifice donavit in vita. Nam praeter divinam adoptionem filiorum, sacerdotii dignitate, cuncti populi aestimatione, uberrimis animarum manipulis, vitae sanctitate, miraculorum carismate, iustitia et pace et gaudio in Spiritu Sancto eum copiose ditavit. Post mortem vero Deus eius interventionis potentiam, evidenter supplicantium preces exaudiendo, ostendit, praesertim vero per miracula, quibus una cum heroicis virtutibus probatis, ei beatificationis honores eum assequi anno Domini 1895 concessit. Nec satis. Nova enim divinae voluntatis erga Beatum signa visa sunt superaddi, quibus prudenter coniici licet, eum ad sollemnem Canonizationem proxime properare.

Ex pluribus namque gratiis seu miraculis a Deo, huius Beati interventione, patratis, duo ab actoribus Sacrae huic Congregationi exhibita sunt, quae merito eis omnes supernaturalis actionis characteres habere visa sunt.

Alterum in alma hac Urbe anno 1932 contigit, alterum vero Lyciae a. 1938.

Olympia Barroero Lazzaroni non parvae dimensionis fistula in dextero uretere laborabat. Insanabilem hanc esse tres chirurgi medentes edixerunt, quod iudicium tres periti ex officio ab hac Sacra Congregatione adlecti unanimi sententia confirmarunt.

Iamvero die 2 Aprilis mensis a. 1932, matutinis horis morbus adhuc saeviebat. Ferventes interim, ab ipso quoque chirurgo medente, ab infirma eiusque marito aliisque ad B. Bernardinum effundebantur. Et mirum! hora duodecima in instanti fistula occlusa est, ceteraque morbi symptomata evanuerunt: uti continuo medens agnovit. Sanatam in recuperata valetudine perseverasse duo periti ex officio deputati testantur.

Miraculum intervenisse omnes medentes, tres periti officiales ceterique testes agnoscunt.

Sophia Renna Donno gravi meningitide tentata fuit, quae adeo invaluit, ut nocturnis horis diei 1 Iulii a. 1938 mortem instare medentes edixerint. Incassum medicorum curis cedentibus, Beatus Bernardinus invocatus est.

Infirma, primis diei 2 Iulii horis, placido correpta est somno. Evigilans, sanatam se sensit. Sanationem eodem mane alter ex medentibus agnovit, quam ceteri medici postea confirmarunt. Recuperatam valetudinem perseverasse, praeter sanatam, duo periti physici ex officio in apostolica inquisitione deposuerunt.

Divino miraculo sanationem esse tribuendam tres medentes tresque periti a Sacra Congregatione acciti mira concordia affirmant; qui pariter in gravis meningitis diagnosi, atque infausta prognosi edicenda convenerant.

De duabus hisce sanationibus die 17 Decembris mensis, elapso anno, in Antepraeparatoria Congregatione coram Rmo R. Cardinali Carolo Salotti, Episcopo Praenestino, S. R. C. Praefecto, Causae Ponente seu Relatore, prior habita est disceptatio; quam die 1 Aprilis anni huius Praeparatoria est subsecuta; die vero 20 elapsi mensis Generalis coram Ssmo D. N. Papa habita est, in qua idem Rmus Cardinalis Ponens dubium proposuit: *An et de quibus miraculis post indultam eidem Beato ab Apostolica Sede venerationem constet in casu et ad effectum, de quo agitur.* Rmi Cardinales, Officiales Praelati Patresque Consultores quid de re sentirent libere aperuerunt. Beatissimus vero Pater, suffragiis auditis, iudicium suum edere distulit, ut maiori divino lumine illustraretur. Gloriosam vero hanc selegit diem Apostoli gentium commemorationi sacram ut suam aperiret mentem.

Quapropter ad se subscriptum Cardinalem S. R. C. Praefectum Causaeque Relatorem, R. P. Salvatorem Natucci, Fidei Promotorem generalem meque infrascriptum Secretarium accivit, sacroque Missae sacrificio religiosissime litato, edixit: *Constare de duobus miraculis a Deo per B. Bernardini Realino intercessionem patratis,* nempe *de instantanea perfectaque sanatione cum Olympiae Barroero Lazzaroni a fistula ureteris dexteri, tum Sophiae Renna Donno a gravi meningitis morbo.*

Hoc autem decretum promulgari et in acta Sacrae Rituum Congregationis referri mandavit.

Datum Romae, die 30 Iunii anno D. 1941.

✠ C. Card. SALOTTI, Ep. Praen., *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. Carinci, *Secretarius.*

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
PROPRIUM MISSARUM PRO SOCIETATE IESU. Supplementum ad Missale Romanum in-4° et 8°. Editio novissima. 1941 .	10 —	11 —	12 —
SELLA PIETRO e VALE GIUSEPPE. **Rationes decimarum Italiae nei secoli XIII e XIV. VENETIAE-HISTRIA DALMATIA.** In-8°, pagine XLVIII-571 (*Studi e Testi*, n. 96)	130 —	134 —	140 —
DISCORSI DEL SOMMO PONTEFICE PIO XII. Dal 3 marzo al 5 maggio 1940. Vol. in-8°, pp. 421, ritratto di Sua Santità . . .	20 —	21,50	25 —
COFFANO Mons. Dott. PIETRO **LUMEN VITAE. Lezioni di cultura religioso-morale.** Vol. I (2ª Ediz.). VERITÀ FONDAMENTALI - ETICA GENERALE - ETICA SPECIALE. pp. XII-458	12 —	12 —	16 —
— Vol. II. I SACRAMENTI IN GENERE - I SACRAMENTI IN SPECIE - I NOVISSIMI. pp. XVI-512	12 —	12 —	16 —
P. AGATHANGELUS A LANGASCO O. M. CAP. **DE INSTITUTIONE CLERICORUM IN DISCIPLINIS INFERIORIBUS Legislatio canonica.** Typis polyglottis Vaticanis, in-8°, pp. XVI-292. INDEX: Praeliminaria, pars I, Praeformatio iuris vigentis; pars II, Ius Codicis; pars III, Ius comparatum — Appendices (Specimina programmatum et prospectus organizationis scholasticae Ecclesiae et praecipuarum Civitatum)	25 —	26,50	30 —
INSTRUCTIO SERVANDA a tribunalibus dioecesanis in pertractandis causis de nullitate matrimoniorum (S. C. de disciplina Sacramentorum), edita die 15 augusti 1936, cum adnexis appendicibus quorundam documentorum necnon adiectis indice analytico-alphabetico tabulisque comparativis. In-8°, pp. 96	7 —	8 —	9 —
REGULAE SERVANDAE in processibus super matrimonio rato et non consummato, cum appendice praecipuorum actorum formularum, quae utiliter et opportune adhibentur in his causis. — Editio altera aucta — In-12°	3 —	3,50	4 —
S. ROMANAE ROTAE DECISIONES seu SENTENTIAE cura eiusdem S. Tribunalis editae, in-8°			
Vol. XIV, pp. VIII-388, anno 1922	50 —	53 —	58 —
Vol. XV, pp. IV-348, anno 1923	50 —	53 —	58 —
Vol. XVI, pp. VIII-452, anno 1924	50 —	53 —	58 —
Vol. XVII, pp VIII-462, anno 1925	50 —	53 —	58 —
Vol. XVIII, pp. VIII-460, anno 1926	50 —	53 —	58 —
Vol. XIX, pp. VIII-580, anno 1927	50 —	53 —	58 —
Vol. XX, pp VIII-540, anno 1928	50 —	53 —	58 —
Vol. XXI, pp. VIII-586, anno 1929	50 —	53 —	58 —
Vol. XXII, pp. VIII-730, anno 1930	50 —	53 —	58 —
Vol. XXIII, pp. VIII- 572, anno 1931	50 —	53 —	58 —
Vol. XXIV, pp. VIII-604, anno 1932	60 —	63 —	69 —

INSTRUCTIO de normis a parocho servandis in peragendis canonicis investigationibus antequam nupturientes ad matrimonium ineundum admittat. Edita die 29 iunii 1941, cum adnexis allegatis. Pag. 24, in-8° . . . . . L. 2 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis"
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/₀ postale N. 1-16722)

ORDO DIVINI OFFICII

RECITANDI SACRIQUE PERAGENDI
IUXTA KALENDARIUM UNIVERSALIS ECCLESIAE
PRO ANNO DOMINI **1942**

Romae L. 3,50 In Italia L. 4 — Apud Exteros L. 5 —

	Roma L.	Italia L.	Estero L.
DE RELIGIOSIS, ad normam Codicis Iuris Canonici, edidit P. Timotheus Schaefer O. F. M. C. Editio tertia aucta et emendata. 1940. In-8°, pp. 1370	94 —	97 —	106 —
CODICIS IURIS CANONICI INTERPRETATIONES AUTHENTICAE seu responsa a Pontificia Commissione ad Codicis canones authentice interpretandos ab anno 1917 ad annum 1935 data, et in unum collecta atque Romanorum Pontificum actis et Romanae Curiae decisionibus aucta (pag. VIII-228), addita *Appendice* ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38)	12 —	13 —	14,50
— *Lineo contectum*	19 —	20 —	21,50
— **Appendix,** ab anno 1936 ad annum 1940 (pag. VIII-38), in-8°	2 —	2,50	3 —
TRACTATUS CANONICUS DE MATRIMONIO PETRI Card. GASPARRI. Editio nova ad mentem Codicis I. C. – Vol. I, pp. 472 – Vol. II, *cum alligatis.* In *brochure,* pp. 620	50 —	53 —	60 —
Volumina partim corio, partim lineo contecta, cum titulo aureo	74 —	77 —	84 —
GASPARRI Card. PETRUS - **CATECHISMUS CATHOLICUS:** In-12°, pp. 488	15 —	16,50	21 —
Lineo contectum	22 —	23,50	28 —
MASSIMI Card. MASSIMO **LA NOSTRA FEDE. Le basi e la sintesi del domma cattolico.** In-12°, pp. 321 (Quinta edizione)	9,50	10,50	12 —
MASSIMI Card. MASSIMO **LA NOSTRA LEGGE. Le basi e la sintesi della morale cattolica.** In-12°, pp. 320	9,50	10,50	12 —
Esposizione breve e chiara della dottrina cattolica per le persone colte.			
OTTAVIANI Sac. ALAPHRIDUS. **INSTITUTIONES IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI.** (Typis Polyglottis Vaticanis).			
Vol. I. **Ius publicum internum** (Ecclesiae constitutio socialis et potestas). Editio altera emendata et aucta, 1935. In-8°, pp. VIII-510	27 —	28,50	32 —
Vol. II. **Ius publicum externum,** 1936, pp. 540	28 —	29,50	33 —
OTTAVIANI Sac. ALAPHRIDUS. **COMPENDIUM IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI AD USUM AUDITORUM S. THEOLOGIAE.** In-8°, pp. VIII-510 (Typis Polyglottis Vaticanis) 1936.	20 —	21,50	25 —
SYLVII ROMANI **Propaedeutica iuris canonici et iuris Ecclesiae publici elementa:** pp. 80	10 —	11 —	12 —
— **Summa iuris canonici lineamenta:** pp. 376	29 —	31 —	36 —
— **Institutiones iuris canonici:** Vol. I. **Ius constitutionale:** pp. XII-492	55 —	57 —	65 —
— **De norma iuris: sectio I, de normae iuris natura deque virtute:** pp. 742	60 —	63 —	70 —
— **Theologia moralis:** lib. I, **introductio;** pp. 150	15 —	16 —	17 —

Veneunt Romae apud Admin. Commentarii Officialis "Acta Apostolicae Sedis"
(Libreria Vaticana - Città del Vaticano — °/o postale N. 1-16722)